

B. M. II. 114
N. 26, 1.

Q. F. F. Q. J. E. D.

II k
2860

DISPUTATIO JURIDICA

x 137 9275 DE

JURE CURSUUM PUBLICORUM,

QVAM

Consensu Magnifici ac Nobilissimi Jctorum Ordinis,
PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTIS-
SIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN. MICHAELE FRIDERICO

LEDERERO,

JCTO ET ANTECESSORE IN HAC ALMA
DECANTATISSIMO, CURÆ ELECTORIS, SCABI-
NATUS ET FACULTATIS JURIDICÆ ASSES-
SORIS GRAVISSIMO,

DN. PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE
SVO OBSERVANDO,


Publico Examine exponit

LAURENTIUS JOACHIMUS Stroph/

Jeverà Frisus,

In Auditorio Jctorum,

ad diem Aprilis.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wende/

ANNO 1669.

30.





DISPUTATIO JURIDICA

JURE CURSUM

PUBLICUM

Constitutio Juris in Notationibus

PRÆSIDII

MAG. WILHELM. WILHELM. WILHELM.

CAUSAM JURIS

D. N. MICHAELIS

LEONHARDI

PROF. JURIS

IN

UNIVERSITATE

WITTEBERGÆ

IN



30





I.



Uò majoribus & frequentioribus per vias publicas proficiscentes expositi sunt periculis, accrescente quotidie latronum prædonumq; copia; eò exactiori industriâ Principi invigilandum, ut aurea paretur tempestivè, & servetur perpetuò securitas. Quod si enim viæ publicæ promiscuis invasionibus & nefandis pessimorum hominum, vitam humanam pretio nummario postponentium, latrociniis paterent, nullus certe peregrinantium felicem sperare aut sibi promittere valeret reditum. Metuendum quoq; petulantiam illam eò fastigii facile progressuram, ut, quæ hætenus nemoribus & sylvis circumclusa, in ipsa civitatis ac Reipubl. grassetur viscera. Quin & ipsi latrones sibi invicem clades satis truculentas inferrent: omnibus tandem tumultuum & insidiarum incendio quàm miserrime conflagrantibus. Quod si ergo hoc ipsum gliscere aut emergere incipiat, compescendum eo solidiori illius cura, cui tranquillitatis & quietis publicæ conservatio cœlitus demandata. Nec alii id spartæ genus assignatum hætenus reperii, quam Reipubl. Principi, cuius proprium esse debet, subditis securitatem præstare, quæq; illi obstaculo futura, remove penitus & propellere.

II. Romanis certe Imperatoribus id præcipuè curæ cordique perpetuo erat, ut publicam tuerentur conservarentque quietem, constitutis eum in finem certis Magistratibus, quorum humeris illud officii genus imponerent. De præfectio urbi hæc tradit Ulpianus in l. i. §. 12. ff. de præfect. urb. *Quies quoq; popularium, & disciplina spectaculorum ad præfecti urbi curam pertinere videtur. Et sane debet etiam dispositos milites*

*militēs stationarios habere ad tuendum popularium quietem & ad
referendum sibi quid ibi agatur. Nec minus de officio praesi-
dis idem ipse Ictus in l. 13. pr. ff. de offic. praesid. sequentia ef-
fert: Congruit bono & gravi praesidi curare, ut pacata atq; quies
provincia sit, quam regit, non quod difficile obtinebit, si sollicitè
agat, ut malis hominibus provincia careat, eosq; conquirat. &c.
Imo certos curatores viis publicis attribuere consueverunt,
cujusmodi curatorem Agrippam generum suum Augustus esse
voluit. Sveton. in eius vita. Nec minus Alexandrum Cæsa-
rem Romæ Urbis regionum & viarum quatuordecim curato-
res constituisse ex Lampridio attestatur Petr. Gregor. Syntag.
Jur. univers. lib. 3. c. 13. n. 9. Unde hoc ipsum tanti fecit Philip-
pus Hassiæ Landgravius; ut dicere solitus sit. Man soll einen
Fürsten kennen bey reiner Strasse/ guter Münze und Haltung be-
schehener Zusage. Dom. Arum. ad Aur. Bull. c. 1. tb. 11.*

III. Fateor quidem, ingenium humanum ita comparatum
esse, ut non patiatur, difficultatibus & curis se consumi, nisi
spe commodi atq; utilitatis futuræ comitetur & reficiatur.
Nec Princeps illâ spe destitutus: luos enim facit omnes redi-
tus occasione viarum publicarum provenientes. Ipsius equi-
dem arbitrio relictum, vectigalia & telonia imponere per-
meantibus, augere & minuere; ingenti exinde emolumento
& incremento fisco ipsius accedente. Æquitas itaq; natura-
lis eum obligat, ut commoda ex viis publicis percipiendo in-
commodis & oneribus quoq; seipsum fateatur obnoxium.
Licet autem varii Principi suppetant modi, quibus quam sa-
luberrimè tum viatoribus securitatem præstare, tum omnibus
in genere subditis prospicere potest: non postremo tamen
loco ponenda mihi videtur institutio cursus publici. Cer-
te, ut alias jucunda brevitæ radiosæ prolixitati præferenda;
sic insignem negotiorum accelerationem cursus publici præ-
stant. Quod enim alias homines longa itineris confectio-
ne non citra ingentem quandoque periclitationem nancisce-
rentur, illud aureo quasi compendio per cursus publicos
consequuntur. Ut enim corporalis præsentia plus opere-
tur, & feliciorē atque expeditiorē ut plurimum producat
negoti

negotii cuiusvis inter diversos gerendi eventum; quod si tamen ea haberi nequit, præstat omnino mentem literis declaratam expectare, quam longa temporis intercapedine & magna expensarum profusione coram conferre.

IV. Silentio transeo vectigalia, quæ cursuum publicorum ministri fisco inferunt, vel inferre obstricti sunt; in præsens sufficiat vigore antedictorum, commendari nostrum thema à securitate, quam cives non modo sed & peregrini peregrinantes quam cumulatisimè percipiunt. Coercetur lanè immane quantum belluina latronum audacia, si certiores facti, ad Principem omnia, quæcunque in quovis territorii angulo, etiam remotissimo geruntur, tempestive satis perferri Joach. Cluten. in *sylog. rem quotid. conclus. 23. lit. B. ad fin.* Christoph. Besold. *Thesaur. pract. sub voce. Post.* Johann. Limnæus de *Jure Publ. lib. 2. c. 9. n. 134.* Placet verba Goldasti *tom. 3. Constit. Imperial.* emphatica ad commendationem cursuum publicorum meliorem ex Limnæo d. l. huc transferre: *Per hanc enim & legationum utilitas, & ordinationum nostrarum celeritas explicatur. Hac & aulicis potestatibus per varias iussiones ministræ effectum. Hac crebris illationibus nostrum ditat ærarium; ut penè quicquid in Republ. geritur cursuali ministerio compleatur.*

V. Nos, ut pauca de prædicto themate in chartam præsentem conjiciamus, præfata impellit commendatio. Inscriptionem itaque & rubricam quod attinet, de jure cursuum publicorum eadem concepta. Dicuntur cursus publici, tum quia sumptus in eos ex publico expediebantur, tum quia & hodie eorum usus omnibus patescit, tum quia in publicum instituti emolumentum. Venit hodie jus nostrum cursuum publicorum nomine juris postarum. Quæ ipsa inscriptio primo quidem intuitu lectorem de facili posset offendere, cum vox postæ nec in jure nostro, nec in clasico facile reperiat auctore, ut proinde illius usurpatio evitanda magis & fugienda quam arripienda & defendenda videatur. Verum vocabuli postæ frequentia eos, quorum palato dicta inscriptio arridet, satis excusatura, quod aliarum vocum copia in promptu satis, quibus utitur puritas sermonis eas fasti-

diat, usus tamen quotidianus & receptio subsequens ob insignem, quam indicunt efficaciam, non vulgarem conciliare auctoritatem. Non adeo interea erraverimus, si vocem synonymicam *postas* latinorum foro non repugnare asseveraverimus. Videtur quippe appellatio ab officio eorum, qui curibus publicis prepositi desumpta, & initio concreto propria abstracto quoque deinceps communicata esse. Praefecti equidem curibus publicis seu postis dicuntur quasi positi collocatique certis in locis & semper in procinctu excubantes. *Limnæus d. l. n. 133.* Nobis tamen videtur sincerius longe Romanos nostrum negotium per voces *cursum publicum* expressisse; motis proinde, ut satius duxerimus Romanos imitari & nostram dissertationem de jure cursum publicorum quam postarum inscribere.

VI. Ordinis ratio exigit, ut in originem postarum inquiram. Herodotum Xerxi & Svetonium Augusto eam tribuere tradit Petr. Gregor. *Synt. jur. unic. lib. 17. c. 12. n. 9.* Sed vero usum quidem cursum publicorum dictis Xerxis & Augusti temporibus cognitum satis fuisse concedo, initium tamen & originem cursum publicorum iisdem assignare merito addubito. Alii igitur Scriptores uno fere ore Cyro Persarum Regi & Monarchæ eam transcribunt ut ipse illius quod in regno suo vastissimo ageretur, eo celerius copiam habere potuerit. Notant vulgo ex Xenophonte *lib. 8. de Cyri instit.* Cyrum diuturni itineris intercapedine stabula constituisse, equorumque curatores & certos homines, literas eo per latas ad proximum stabulum delaturos, ex quo ad viminium de novo transferebantur. In hisce insuper stabulis & mansionibus equi ex publico ad usum cursorum celebrantur Angaræ & Astandæ vocati. Anton. Perez. *pralect. ad Cod. de cursu publ. n. 1.* Digna sunt verba Taboëtii ut ex *Limnæo d. l. n. 133.* huc transferantur. *Stationes inquit ille, equestres & cursum publicos Cyrus Persarum Rex, & totius orientis Monarcha, Scytas bello petiturus instituit, quingentis annis ante Christi nativitatem. Eas ille stationes vocavit ἐξασπείων ὁρῆα, id est, cursum equestrem, coactæ & publicæ festinationis, & itineris raptim expediendi gratia:*

in quo ad cursum publicum plures equi dispositi forent. Taceo
quæ sacra scriptura de Ahasvero testatur, ipsum literas annulo
suo obsignatas per veterarios ad omnes provincias citissimo
cursum euntes misisse. Hic notasse sufficit Persas Græcos quo-
que imitatos esse, dum ex Herodoto attestante certos nuncios
ab illorum Imperatoribus in regniis viis constitutos esse, qui
mutuas sibi operas præstabant, & edicta ab ipsis edita pecu-
liari celeritate subditis deferebant, constat.

VII. Romani deinceps, ob insignem, quam depre-
henderunt utilitatem, publicos instituere cursus ceperunt,
adeò, ut primus statim Julius Cæsar, qui fundamenta Roma-
næ Monarchiæ, quæ per multas seculorum intercapedines
quàm felicissimè duravit, illorum curam habuerit. Ita enim
legitur in *lib. 3. Cæsaris de bello civili: Nisi nuncii de victoria
Cæsaris per dispositos equites essent allati.* Augustum tandem
Cæsaris successorem cursus publicos auxisse immane quantum
& in certum redegit ordinem ex Svetonii verbis *c. 40.* abunde
colligere licet. Tandem & Orientales Imperatores cursus pu-
blicos instituisse ex *t. t. C. de Curs. publ.* vel ad nauseam patescit:
Ut merito Orlandus Malavolta in historia Senensi, post tem-
pora Augusti usum dispositorum equorum evanuisse & à Vice
Comitibus demum Mediolanensibus reductum esse, merito
vigore dicti tituli irrideatur à Forstnero in notis ad Tacitum
p. 125. & Joh. Henric. Stamlero *de reservatis Imperat. Rom. Germ.
I. 48. n. 3.* Quod si enim verum, quod de Ælio Vero Impera-
tore tradit Johann. Limnæus *de J. P. lib. 2. c. 9. n. 137.* ipsum
cursores suos ventorum nominibus cohonestare solitum fuis-
se, alium Boream, alium Aquilonem aut Circium vocando.
Qua quæso ratione mortuo Augusto Postarum jus in usu de-
fuisse dici poterit? Nec desunt alii populi barbari partim,
partim Christiani, quibus felix cursuum publicorum expedi-
tio hodiernum curæ cordique. De Turcarum Imperatoribus
testatur Limnæus *d. l. n. 138.* illos similes quodammodo præ-
cones habere, quos Ulacides vocant, qui mandata ipsius ve-
locissimo cursu expediunt, & si quid novi contigerit, citissi-
me Imperatori patefaciunt. Inter Christianos Europæos
Gallos

Gallos præ reliquis gentibus adeo evehit idem ipse
Limnæus d. l. nullibi in Europa, cujus bonam partem per-
lustraverit, melius instructas postas reperiri quàm in Gallia.
Sed verò, ut ut rationem Limnæi, qua eam noluit intelligere,
exagitet Ludovicus von Hornigt *de reg. post. Jur. c. 5. lit. B.* in-
signiter tamen iterum refutatus est à Stamlero *de reservat. Im-
perat. Rom. German. §. 48. n. 4.* Qui ipse tamen ne encomio
Germaniæ nostræ ejusque incolarum nimium quantum eo
ipso decedat & Gallis accrescat, rectè palmam Germaniæ
nostræ in præsentī negotio adjudicavit non perfunctoria mo-
tus ratione.

VIII. Origini juris nostri subjicere placet causam il-
lius efficientem, seu subjecta, quibus jus cursus publicos in-
stituendi competit. De jure Romano nec præfecto urbi, ut
ut ipsius curæ incumbat, ad tuendam popularium quietem-
stationarios habere milites, ut quod ubique agatur ipsi refe-
rant per *l. 1. §. 12. de præfect. urb. nec ducibus, nec Magistris,
nec vicariis, nec judicibus copia evectiois faciendæ conces-
sa.* Soli Imperiali numini ut & præfecto prætorio nec non
magistro officiorum eadem reservata *l. 9. C. de cursu publ.* Ex
quibus non vulgaris descendit quæstio, an jus cursuum publi-
corum classi jurium Majestatis rectè assignetur? Ingentem
dubitationem movet d. l. 9. aliis etiam præter Imperatorem
facultatem concedendi cursus publicos tribuens, decisum au-
tem in Politicorum Scholis, Jura Majestatis tanquam partes
integrales & potestativas, salvo toto potestativo nec auferri
nec communicari aliis posse, quod alioquin summitas Ma-
jestatis vel in una saltem parte jacturam patiatur, & tritum
insuper sit Majestatem tempore Gratiani, Valentiniani &
Theodosii, qui autores d. l. 9. penes unum tantum extitisse.
Confirmari insuper hic scrupulus posset quod in *c. un. qua sint
regalia 2. F. 56.* nulla nostri juris cursuum publicorum fiat men-
tio. Sed vero ex natura hujus nostri juris ejusque effectibus
& infinitis utilitatibus ad conservationem Reip. tendentibus
fatis patere confido illud juribus assignandum Principalibus
esse. Nec urgent adeo jam adducta, præterquam enim quod
in

in d. l. 9. pro nec legant nonnulli nec verò notante Dionys. Gotofred. ad d. l. 9. discernendum probe exercitium juris ab ipso jure, ut illud saltem P. P. & officiorum Magistro concessum videatur; hoc penes Imperatorem solum integro & illibato perseverante. Cum enim Imperatori ipsi ob distans longissime Imperiorum Provincias omnia civilibus oculis salutariter satis perspicere denegatum; ita ex re omnino publica vicissim cursum publicorum institutionem aliis accommodari feliciter satis eidem praefuturis. Praecipue, quod omnes Magistratus Romani, quales sine dubio P. P. & c. quicquid faciebant, non proprio jure nec in propriam utilitatem, sed alieno & administratoris tantum titulo jure Magistratus vel ex speciali concessione competenti agebant. Hahn. *ad Wesenb. de jurid. n. 8. in verb. prorogata.* Nec alterum ex *c. unic. quae sunt regalia* desumptum ulterius premit, cum plura longe regalia reperiantur, quam quae in d. c. unic. expressa; ea potius juxta Jacobum Cujac. ad d. c. ibi recenseri, quae praecipua, & quae Episcopi proceres ac civitates Italiae Friderico Imperatori restituerunt. Eadem solutio arridet quoque Hermanno Vultejo *lib. 1. c. 5. n. 7.* Addit quoque Henric. à Rosenthal. *Tract. Jur. feud. c. 5. conclus. 94.* ut dictam infringeret argumentationem, multa jura quae olim regalia non erant, usu & consuetudine deinceps talia facta esse.

IX. De cætero, cum mutatus sit pristinus ille Romani Imperii status in aliam faciem, & quam plurima Majestatis jura statibus Imperii sint communicata, aliquibus Imperatori reservatis, non relictis, ut Hippolith. à Lapide *de Rat. Stat. p. 1. c. 16.* loqui amat, recte notatus à Stamlero *de reservat. Imperat. Rom. German. §. 2. n. 3.* difficilior videtur disquisitio, an jus cursum publicorum reservatis Imperatoris accensendum? In antecessum hic cursus publici universales à cursibus publicis particularibus probe discernendi. Certe illorum institutionem numero reservatorum Imperialium recte assignant scriptores: Neque enim in Aurea Bulla neque in capitulationibus, neque in Recessibus Imperii neque ullibi locorum

B

reperire

reperire licet Ordinum Imperii aut ad minimum Electorum
consensum in instituendis cursibus publicis desiderari. Re-
tinuit itaque saluum & integrum Imperator, quod Antecesso-
res ipsius soli exercuerunt, & ad posteros ordine propaga-
runt. Unde principi cuidam Germaniæ Anno 1579. per
Belgium & Italiam propriis sumptibus cursus publicos seu
postas instituere conanti hoc attentatum pro defensione re-
servati Imperatorii Imperatorem severe interdixisse tradunt
Arnold. Clapmar. *de Arcan. Rerum publ. lib. 1. c. 21.* Johann.
Limnæus *de J. P. lib. 2. c. 9. n. 133.* Domin. Arum. *de Jur. Publ.*
rom. 3. disp. 14. tb. 53. Johann. Henric. Stamler. *de Reservat. Im-*
perat. §. 48. n. 5. Christoph. Besold. *Tbesaur. pract. sub voce*
Postmeister.

X. Valde quidem laborat Hippolithus à Lapide *de rat.*
stat. p. 1. c. 16. Ut imperii quoque ordinibus potestatem insti-
tuendi cursus universales transcribere possit; nixus præci-
puè verbis Recessus Imperii Spirensis de anno 1542. §. und dar-
mit man auch iederzeit / in verb. wollen gemeinen Stande Ord-
nung geben / daß derhalb eine Post an gelegene Mahlstatt geleyet/
und erhalten werde. Sed verò rectè animadvertit Stamlerus
d. l. illa verba non de institutione sed conservatione & susten-
tatione postarum concepta esse, ut scilicet status Imperii di-
spostis commodè ab Imperatoribus stationibus rite prospici-
ant, cum & ipsorum hic versetur utilitas. Videri tamen hic
poterit capitulatio Imperatoris Leopoldi §. 35. quâ Postarum
institutio recessu Imperii de Anno 1641. temperata apparet.

XI. Secus autem res comparata cum cursibus publicis
provincialibus, qui hodie ad differentiam cursuum Cæsareo-
rum universalium dicuntur Landposten / Nebenposten item
Messgerposten / eò, quod à lanionibus semper fere equos suos
habentibus ob bonum aliorumque animalium emptionem in
multis civitatibus exerceantur. Ludovic. Von Hornigk *de*
reg. post. Jur. c. 19. tb. 1. lit. b. Harum quippe institutionem
Statibus Imperii in suis territoriis & Provinciis non denega-
mus, præcipuè, quod Cursores Cæsarei Ordinarii illis cursi-
bus quasi subleventur, & omnia eo citius expediantur. Si-
cut autem negari non potest, cursus provinciales privatorum
causa

causa ut plurimum institui; Ita horum institutio ita temperanda, ne cursus publici universales ullam patiantur jacturam. Et exinde dubio procul factum, quod quam varia ab Imperatoribus promulgata fuerint mandata, quibus Provinciales istiusmodi cursus publici severissimè inhibiti. Vide re ea, cui volupe, potest apud prædict. Ludov. Bon Hornigt d.l.

XII. Cæterum causam cursuum publicorum efficientem præfatis delibasse pro instituti ratione sufficiat, ad eos jam, quorum humeris cura cursus publicos dirigendi incumbit, recta progredior. Principi equidem id officii genus expedire impossibile contingit; constituti proinde per certas diversasque Provincias certi diversique homines, quorum sparta in postulando evectionem à transeuntibus primario consistebat. Dicebantur illi curiosi & curagendarii in *l. 1. C. Theod. de curios.* quod curam agebant itinerum & cursuum publicorum, ut si quid minus legitime in usurpando cursu publico admissum sit, illud Magistro officiorum, cui subiecti erant, denunciarent. Jacob. Cujac. *ad l. 9. C. de curs. publ.* Licet enim non negem, quam plurima negotia ipsis commissa fuisse quæ omnia cum celeritate quadam & intra tempus determinatum iis expedienda, præcipuè tamen cursibus publicis vacare tenebantur. Et quidem id omni nisu ipsis laborandum, nè quenquam in publico cursu, transire patiantur, antequam seriem evectionis inspexerint. Et imo si aliqui restiterint, sine evectionis exhibitione iter continuare præsumentes, retinendi tamdiu in loco, in quo deprehèsi, donec condigno multati sint supplicio *l. 3. C. de curs. publ.* Quid autem venit nomine evectionis? Legendum non evictio ab evincendo, sed evectio ab evehendo dicta, & nihil aliud denotat quam literas, diplomata, five codicillos, quibus facultas cursu publico utendi conceditur. Jacob. Cujac. *ad l. 3. de curs. publ.* Vocantur insuper tractoria, *t. t. C. de tractoriis* & *l. 2. C. de desertor. & occultat.* Expresse etiam hæc evectio diploma dicitur in *l. 27. §. ult. ff. de L. Jul. de Fals.*

XIII. Porro, ut in ea, de quibus in evectionis diplomate caveri solebat & debebat, inquiram, necesse. Determina-

minabatur itaque in illo. Primo modus & tempus, quo cursus publico quis uti poterat, quod excedere tentans, si dignitate praeditus, ad eos, quibus cursus publicos concedendi facultas relicta, puniendus remittebatur, adversus ceteros vero protinus indignatio competens exercebatur *l. 3. C. de Curs. publ.* Deinceps numerus equorum in evectione definebatur: neque plures quis poterat postulare quam quot in evectione concessi, adeo, ut licet quis praetexere voluerit, se mandata principis habere, & in obsequium ejus festinare, nihilominus improbi ausus effectu privandus, nulla contumacia vel dignitate prevalente *l. 2. C. de Curios. & Station.* Et quisquis supra numerum in evectione determinarum equos publicos usurpare audebat, parhippus seu transgressor formae cursui publico data dicebatur *l. 4. C. de Curs. publ.* Tandem & stativa, seu diversoria, in quibus persecutores & ductores animalium onera ferentium & nuncii principis sumptu publico alebantur in iis adscribebantur. Anton. Perez. *ad Tit. de Tractor. & Stat. n. 2.* Dictam itaque evectionem proficiscentes curiosis exhibere tenebantur, & quicumque eam exhibere detrectabat, gravissime puniebatur *l. 3. C. de curs. publ.* Praecipuum igitur curiosorum officium erat, ne quis sine diplomate aut supra modum evectionis curreret. Ulterius tamen illorum curae incumberebat prospicere, ne pabula stationibus aut mansionibus equorum deessent, aut per stationarios iniquo pretio aestimarentur & ita provinciales ultra quam justitiae finit ratio praegravarentur *l. 18. C. de Curs. publ.* Porro providere debebant curiosi, ne quis mulionem mutationibus deputatum vel per sollicitationem vel per receptionem subtrahat, constituta in transgressorem decem librarum argenti poena *l. 17. C. d. r.* Hodie in curiosi sive potius officiorum Magistri aut P.P. in praesenti materia locum successisse videtur generalis Postarum Magister appellatus. Quo officio in sacro Imperio Romano defunguntur Comites de Tassis, quibus illud cum subsecuturis haeredibus instar feudi concessum est: unde etiam Erb General-Postmeister appellari consueverunt. Ludov. Von Hornigk *de regal. Post. Jur. c. 6. tb. 1.* Staml. *de re. Serv. Imperat. S. 48. n. 6.* Ab hoc autem separandus probe supremus;

premus aulae Caesareae postarum Magister, cujus officio defun-
guntur Comites de Baar Staml. d. l. n. 8.

XIV. Cæterum, cum impossibile sit, ut curiosi ubiq;
locorum commorari possint; ideo illis alii suberant minoris
dignitatis, qui secundum locorum consuetudinem cohorta-
tales vel curiales dicti; licet aliis quoque Præfectus pratorio
sub idonea cautione publici cursus exhibitionem committere
potuerit, juxta l. 14. C. de Curs. publ. Nec minus & hisce alii
obsequabantur, Stationarii & Sajones dicti, quorum officium
præcipuè in eo consistebat, ut, quod ubique ageretur, curio-
sis iudicibusque denunciarent. Anton. Perez. in prælect. ad
Cod. Tit. de Curios. & Stat. n. 8. Eorum quoque officium erat
per certa viarum intervalla singulis stabulis suos hippocomos
assignare ab *ππ* equus, & *κουτω* nutrio dictos l. 13. C. de
Curs. publ. Qui ipsi proficiscentes cursoresque fatigatos ho-
spitio recipere, iisque ligna salem & alia ad victum necessaria
præbere, recentesque hospites recentibus equis imponere
tenebantur. Hodie à generali Postarum præfecto consti-
tuuntur certòq; salario conducuntur subministri Postmeister
dicti: qui itidem in certis civitatibus locisque imperii, ubi
plerumque cursorum mutatio fieri assolet, substitutos habent,
dictos vulgò Postverwalter Staml. de Reservat. Imper. Rom. §. 48.
n. 7. Omnes hi cursuum publicorum Magistri & Ministri
communem protectorem in Imperio Romano Germanico
hodie agnoscunt Electorem Moguntinum, Prout pluribus
deducit Ludov. Bon Hornigk de regal. Post. Jur. c. 6. theor. 2.

XV. Cæterum, cum sine speciali evectionis impetra-
tione cursuum publicorum exercitium vi prædictorum apud
Romanos plane sit denegatum, exinde satis patere confi-
do, illud coarctatum nimis à Romanis fuisse: adeò quidem,
ut etsi privatus evectionem à principe vel alio, cui jus eam
concedendi proprium, impetrare voluerit, eâ tamen uti
non potuerit, cum forte præsumptio contra eum militaverit,
illum ex importunitate aut obreptione obtentam fuisse l. 11. C.
de Curs. publ. Quin imo, nec Duces & Præsides Provinciarum,
postquam semel suam, cui præerant, provinciam ingressi,

Cursu publico uti ulterius poterant, sed expeditiones, etiam militares, propriis jumentis exequi debebant l. 20. C. d. t. Non deerant interea, qui vel ob officii sublimitatem, vel ob bene merita vel tandem ob urgentem causam sine speciali impetratione evectiois copiam habebant. De Ex Magistris Equitum & peditum non quidem honorariis, sed in actu positis concepta l. 25. C. Theodos. de Curs. publ. Senatori quoque sive ad principem proficiscenti, sive ab eo discedenti, evectio ipso jure concessa: quod si tamen excepto hoc casu Cursum publicum illicita temeritate præsumpserit imperialis mansuetudinis motum in se concitavit l. 6. C. de Curs. publ. Nec minus legatis non tamen indistincte omnibus, sed iis tantum, qui à diversis populis ad Imperialem clementiam properare (utitur verbis legis) festinarunt utendi. Cursibus publicis facultas concessa l. 16. C. d. t. Hodie autem Cursuum publicorum usus omnibus privatis etiam sine diplomate conceditur, nisi princeps ob certas causas summo Veredariorum præfecto sine schedula equos concedere prohibuerit.

XVI. Ad modum jam & sumptus, quibus nostri Cursus publici & olim & hodie expediuntur, progressum facio. Veterum cursus publicus sumptuosus nimium erat & tardior hodierno, quod vehiculis ut plurimum, atque bobus asinisque in transvehendis rebus utebantur, ut Jacob Cujac. ad Tit. de Curs. publ. ex Codice Theodosiano demonstrat, unde Cursus vehicularis dictus, quod primum vehiculo confectus fuerit, item clabularis à clabula genere vehiculi dictus, vel caballaris propter legem 14. ff. de erogat. milit. ann. ubi caballationis mentio fit, vel denique ambularis ut loquitur Imperator Leo in l. 22. C. de Curs. publ. quæ lectio firmari potest, l. 9. in verb. *ambulandi facultatem* C. de Curs. publ. Omnes hæc lectiones, ut ut diversæ sint, roboratæ satis vel lege vel ratione videntur; ut ideo arbitrio lectoris, quamcunque arripere velit, reservandum. Tandem ad modum, quo Cursus publici perficiebantur, referri quoque debent equi agminales, angariae atque veredi, quorum mentionem facit Arcadius Charisius

rifus in l. 18. §. 21. ff. de muner. & honor. Agminales exinde
dicti perhibentur, quod agmen exercitus sequantur ad conve-
henda impedimenta. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid. sub voce agmi-
nales.* Deinceps angarias alii ab agendo dicunt, alii à græco
ἀγασαί id est, cogere, ut hoc sensu angariarum nomine
omnia munera veniant, quæ necessitate urgente subeunda.
Da man der Obrigkeit mit Wagen / Pferden / Schiffen / und
dergleichen auff begehenden Nothfall dienet Caspar Klock. *de
contribut. c. 1. n. 136.* Ludov. von Hertig *de regal. postar. Jur. c. 8.
theor. 1.* Tandem angariarum & parangariarum præstatio
regalibus assignata inter extraordinarias collationes refertur
2. Feud. 56. Domin. Arum. discurs. Jur. publ. vol. 3. disp. 15. tb. 95.
Quinimo angariæ & perangariæ denotant præstationes plau-
strorum & jumentorum provincialibus impositas l. 2. C. de
quibus muner. vel præstat. l. 1. C. quemadm. Civil. muner. indic.
Jacob. Cujac. *ad l. 7. C. de fabricens.* Et hæc tanquam extraor-
dinarie indictiones non personales sed patrimoniales sunt,
& secundum patrimonia & possessiones indicuntur, adeo, ut
nullus plane se illis subtrahere potuerit l. 21. C. de *Curs. publ. l.
final. C. de muner. patrim. l. 11. C. de SS. Eccles.* Hoc loco anga-
riarum præstationes ad cursum publicum sunt restringendæ
& inter præstationes personales referendæ, cum Clerici, Cu-
bicularii & aliæ personæ ab illarum præstationibus exemptæ
reperiantur in l. 2. §. 3. C. de *Episc. & Cler. l. 2. C. de præposit.
sacr. Cubicul. l. 3. C. de silent. & decur.* Anton. Perez. *in Prælect.
ad Codic. h. t. de Curs. publ. n. 5.* Alias angarias à parangariis
in eo distingvit Jacob. Cujac. *in proëm. ad d. l. quod angaria
sit, qua cursus publicus dispositus est; parangaria alio versum:*
ut ut diversa sit explicatio Perezii d. l. per parangarias transi-
tus per viam non ordinariam denotari sentientis.

XVII. Nec minus & veredis in cursibus publicis ute-
bantur Romani: per illos equos publicos cursuales deno-
tantes l. 8. C. de *Curs. publ.* Dicti perhibentur veredi vel à ve-
hendo quod rhedas iisque impositos vehebant, vel à via &
rheda, quod rhedas per vias publicas ducebant, quamvis
deinceps notante Cujac. d. l. illa appellatio salva persistit,
ctf

retsi rheda non amplius fuerint usi: Mentio quoque fit pare-
veredorum in *l. 2. § 19. C. de Curs. publ. l. 2. C. de præposit. sacr. cubicul. l. 3. C. de silentiar & Decurion.* equos majores cur-
suales sive agminales significantium. Quos posteriores teste
Cujacio d. l. parafredos dixere vi legis Baiuvariorum: *Para-
fredos donent aut vadant, ubi eis injunctum fuerit.* Cum itaque
veredorum labor in cursibus publicis præcipuus fuerit, ideo
Legislatores Romani salubriter satis prospexerunt, ne vel
nimis agitentur aut onerentur, vel nutrimenta sufficientia iis
denegentur. Præterquam enim, quod equi cursui publico
destinati non lignis vel fustibus, sed flagellis tantummodo
agitari poterant *l. 1. C. de Curs. publ.* Joh. Limnæus *de Jur. publ.*
lib. 2. c. 9. n. 139. Certa quoque quantitas, quam veredorum
cura sub ingenti pœna transire non debebat, determinata est.
Refero huc verba *l. 12. C. de Curs. publ.* *Quoniam veredorum quo-
que cura pari ratione tractanda est: sexaginta libras auri sella
cum frenis sexaginta itidem averta non transeat: ea conditione,
ut si quis præscripta moderaminis Imperatorii libramenta transcen-
derit, ejus sella in frustra cadatur: averta verò sisci juribus depute-
tur, exceptis auri centenariis, (Perez. legere amat aurigenariis)
quæ necessarium est ab hippodomis in solitis sacculis reportari.*

XVIII. Nutrimentorum etiam quantam Romani ha-
buerint curam *l. 19. C. de curs. publ.* perlustranti satis patefcet.
Nec minus & hodie ob velociorem expeditionem cursus pu-
blici equis ut plurimum perficiuntur, dictis germanicè
Post-Pferde Post-Rosß / ut ut interdum defectu equorum con-
tingente alia quoque animalia in locum equorum substitui
experientia accesserit. Quod ipsis etiam Romanis quando-
que usu venisse tradit Cujac. *d. l.* Quin imo equi cursorii ita
sunt privilegiati, ut nec arrestari pro quovis debito possint.
Quod si esim boves aratorios, aut instrumenta aratoria deti-
neri, & à possessionibus abstrahi non debent, ne agriculturæ
cursus inhibeatur *l. 7. C. quæ respign. dar. poss.* id quod etiam
ad militum arma & stipendia extendunt arg. *l. 4. C. de execut.
rei Judic.* quanto minus equi cursorii pro publico laborantes
commodo, in decoro arrestationis vinculo erunt detinendi,
ne

ne postea & negotiis eam expediendis remora injiciatur?
Quod si tamen de facto arrestati fuerint, confestim & sine
ulla cautionis praestatione arrestum a iudice relaxari debet
Ludov. Bon Hornigk de regal. post jur. c. 18. theor. 24.

XIX. Ceterum ita cursus publicus prosequendus,
ne per aliam quam publicam & ordinariam dirigatur viam,
alioquin ab itinere recto divertens, cujuscunque dignita-
tis vel militiae fuerit, competenti subjiciebatur poenae l. 5.
C. de curs. publ. Excepta tamen ab hoc eundi rigore subli-
missima Praefecti praetorio sedes, cui cursus publici & pro-
ficiscendi per eum licentia, subicunque ratio exigebat,
praesto erat. l. 2. C. d. t. Unde Cursores, si per ordinariam
& solitam viam transeuntes a latronibus spoliati fuerint,
ipsi non tenentur, quod aggressura latronum referatur in-
ter genera casuum fortuitorum l. 6. C. de pignorat. action. l. 1.
C. depositi in verb. Quod si praetextu latrocinii commisi vel
alterius fortuiti casus. adde l. 26. §. 6. ff. mandat. Sicut igitur
alias periculum rei & casus fortuitus ad Dominum
spectat juxta vulgatum illud ex arg. l. 9. C. de pign. act. de-
sumptum brocardicon: res perit suo domino. Ita nec is
hoc jure exemptus erit, cujus res ad alium mediante cursu
publico deferenda. Accedit insuper cursorem publi-
cum seipsum debitorem pecuniae non constituere, sed ope-
ram tantum & factum illius transferenda & restituenda
promittere. Quod si igitur ipse in transportandis literis
vel fasciculis pecuniae aut alia materia pretiosa repletis of-
ficii sui partes debitamque diligentiam observaverit, ca-
sus fortuitus quod praevideri, is ab eo non possit, juxta d.
l. 6. C. de pignor. act. superveniens cursori non poterit de-
trimento cedere, cum ipse ad ea, quae industria sua & cura
evitare nequit, in dubio se non censentur obligare voluisse.
Interea tritissimum huc usque, posse aliquem peculiari
conventionem rei alienae casum fortuitum in se suscipere,
aut mora sua culpave & facto causam casus fortuiti ortui
praebere arg. l. 5. §. 3. ff. commod. l. 12. §. 3. ff. de posit. Quid
itaq;

C



itaque si cursor publicus relicta ordinaria, certa & com-
moda atque tanta via, per insolitam, periculofam & mi-
nus comodam transiens damnum aliquod spoliatione La-
tronum aut hostili perpeffus fuerit? Eo certe casu emer-
gente cursor publicus pecuniam vel æstimationem rerum
pretiosarum à Latronibus spoliatarum Domino præstare
omnino tenetur; cum ipsi sibi habeat imputare, quod pe-
riculo citra necessitatem se objecerit *l. ii. ff. ad L. Aql. ut*
merito damnum sua culpa sentiens sentire non videatur
l. 203. de R. J.

XX. Eadem dispositio obtinet, si cursor tempora
reditus consveta non observaverit, sed justo diutius in iti-
nere commoratus sit, cum tamen, si destinato debitoque
tempore rediisset, salvus incolumis & illæsus redire po-
tuisset. Quod enim priori cursu factus per insolitam viam
transitus, id posteriori mora illicita operatur; spoliatum
sc. cursorem ob moram commissam propria culpa spolia-
tum censerit. Præsertim quod nemini mora & frustratio
prodesse debeat *l. 37. ff. mand. l. 173. §. 2. de R. I. Benedict.*
Carpz. lib. 1. Resp. 75. n. 13. eadem potius pro delicto habetur,
idem *Benedict. Carpz. p. 2. const. 19. def. 2. n. 5.* Id igitur ut
alias impunitum relinqui non debet, ne in insigne publicæ
salutis & communis tranquillitatis detrimentum impro-
borum caterva impunitatis sive fiducia sive colore nimium
quantum accrescat; sic nec minus è re erit publica nemini
ea, quæ delicti nomine obveniunt, patrocínio aut excusa-
tioni cedere. Certe etsi Legati Majestaticorum radiorum
splendore circumfusi insignibus dotati sint privilegiis,
adeò, ut juxta Ictum Pomponium, in *l. fin. ff. de Legation.*
sancti habeantur; quod si tamen expeditionibus finitis sive
dolo sive culpa in redeundo cunctati & ea propter damnum
aliquod perpeffi fuerint, nequaquam privilegiis Legato-
rum eo casu se tueri poterunt, omne potius, quicquid de-
trimenti ipsis exinde accessit, suæ transcribere tenentur
tarditati; prouti ex Bartolo, Baldo & Saliceto ad *L. 4. C.*
de

de commerc. & mercat. Nec non Udalric. Zas. l. 1. confl. 20. n. 8.
tradit. Virgil. Pingiz. *illustr. quest. Saxon. q. 48. n. 13.* Ex
quibus apte satis colligitur, multo minus excusandos cur-
sores, qui vel diuturnam emanationem, vel facti itineris
periculum prætereundum audent cum citius redire & per tu-
torem ac commodiorem viam ipsi transire potuerint;
quod Legatorum officium sit necessarium, cursorum vero
voluntarium.

XXI. Prædicta huc usque sententia ingentem pati-
tur limitationem, si alius aliquis vel periculum rerum per
postas transportandarum in se susceperit, vel culpam aut
negligentiam in rebus transportandis commiserit. Quid
enim si ipse præfectus cursuum publicorum res transferen-
das in se suamque fidem receperit? Quid si indebito tem-
pore Cursori sarcinam aliorum vehendam commiserit?
Quid si cursori per aliud quam consuetum & cursorium iter
currere demandaverit? Quid si minus provido aut curioso
ac segni cursori literas pecunia repletas vel alias res tradi-
derit, sane, omnibus & non difformibus casibus contin-
gentibus ordinaria juris Principia Præfectum Postarum ad
æstimationem rerum, si qua forte à latronibus aut hostibus
ademptæ cursori fuerint, teneri inculcant; partim quia
periculo quæ peculiari conventionem in se suscepit, ex post
facto se subtrahere nequit, partim, quia Præfectus posta-
rum officii sui partes minus fideliter & accurate executus
est, dum vel in sarcinæ traditione vel in itineris faciendi
determinatione culpam non levem commisit, vel in cur-
soris, cujus opera utitur, conditionem, cujus ignarus esse
non debuit, non satis inquisiverit *l. 19. ff. de R. I.*

XXII. Contingit præterea interdum, creditorem
à tertio per literas petere, ut hic à suo debitore debitum
exigat qui ipse quoque petito ut satis faceret, primum debi-
tum exegit, exactam Cursori tradit, deinceps autem ea à
latronibus cursorum auferatur, exurgit hic quaestio, ad

periculum pecuniæ illius ablatæ spectet, an ad debitorem, an ad creditorem, an vero ad exactorem? Certe exactorem mandatum à creditore literis ipsi commissum, nec minus & debitorem ei solventem, cui creditor solutionem fieri voluit, satis excusabit, & proinde ad creditorem viam illam & modum pecuniam debitam accipienti eligentem periculum spectare ex Aym. Gravett. *conf.* 247. recte tradit Matth. Berlich. *conclus. pract. p. 5. conclus. 58. n. 26.* Et satis munita videtur hæc sententia *l. 10. §. 1. in verb. siquidem ego mandaveram & l. 12. §. 1. ff. commod.* Procedit tamen hæc sententia tum demum, si creditor nominatim scripserit, ut pecuniam huic vel illi cursori tradat, aliàs si Creditor sine expressa cursoris denominatione simpliciter scripserit, ut pecuniam mitteret, debitor non liberatur, quod literæ illæ non tam receptionem à cursore faciendam, quam comensationem debiti involvere videantur Matth. Berlich. *d. l. n. 30.* Extra prædictos casus, quibus nec cursor publicus in currendo limites debitos excesserit, nec præfectus postæ periculum in se susceperit, nec creditoris iussu pecunia ex acta & cursori tradita fuerit, ad debitorem periculum rei amissæ pertinebit, si cursor citra culpam suam spoliatus fuerit, sive debitor ad speciem sive ad quantitatem seu genus præstandum obligatus sit, prout contra Veteres ICtos statuunt Anton. Hering. *de fide iussor. c. 20. §. 27. n. 29.* & Matth. Berlich. *d. l. n. 23.* quod pecunia credita periculo debitoris videatur esse tamdiu, quamdiu creditor eam non receperit, debitore tamdiu Domino rei debitæ permanente, quamdiu pecunia ad locum destinatum non sit perlata. Qui ipsi ex prædicta ratione hanc dispositionem etiam ad eum extendunt casum, quo cursor publicus pecuniâ commissâ aufugit.

XXIII. Quid tandem, si cursor pecuniam sibi traditam ventre & venere dilapidaverit, ludo perdiderit, aut alias in usus suos privatos illicite converterit? Fraudis eum & dolum argui posse in aprico positum: sed & fur-

tum

tum illum committere patescit ex *l. 7. C. de furt.* cujus verba sic concepta: *Si is cui te pecuniam ad matrem tuam perferendam dedisse proponis, parva quantitate numerata reliquam in usus suos convertit, furtum fecit.* Et imo, si omnis is, qui in re concredita male versatur, eaq; abutitur, juxta *l. 22. §. 7. & seq. ff. mand. l. 33. ff. de furt. l. 16. C. de furt.* furti tenetur, multo magis ejusmodi cursor & nuncius, cujus fidei pecunia vel alia res aliorum perferenda expressè concredita est. Veteres quidem Icti olim distinguebant: An pecunia illa in sacculo obsignata cursori & nuncio tradita sit, an vero non obsignata sed annumerata fuerit: Priori tantum casu, non autem posteriori pœnam furti obtinere asseruerunt, tum per *l. 31. vers. idem juris ff. locat. conduct.* tum quia eo ipso, quod Dominus cursori pecuniam annumerat, videtur licentiam eâ utendi eidem concessisse, tum, quia Dominus annumerando & pecuniam non obsignatam in quantitate dando videtur dominium in cursorem transtulisse.

XXIV. Recte tamen hâc distinctione rejectâ, cursorem pecuniam, ut aliò eam perferat, sibi concreditam in proprium usum convertentem aut dilapidantem furtum committere statuunt Matth. Berlich. *pract. conclus. p. 5. conclus. 85. n. 7.* Carpz. *pract. crim. pag. 2. q. 85. num. 76.* moti ante adductis textibus quibus addunt *l. 52. §. 16. ff. de furt.* Neq; enim negari potest cursorem pecunia urentem contrectare rem alienam in vito Domino lucri faciendi gratia: ut proinde ex substantialibus furti præsentibus furtum commissum esse recte conjiciamus. Sola quippe numeratio dominium non potest transferre, præsertim, quoties ea sine consensu Domini vel inscio Domino facta, ut ut Virgil. Pingiz. *quæst. Sax. q. 48. n. 27.* directò contrarium evincere velit, quod numeratio non in eum fiat finem, nec ea intentione, quod numerans velit dominium pecuniæ in cursorem transferre, sed ut cursori tantum constet de quantitate & summa pecuniæ transferendæ: actus autem contra mentem & intentionem agentium nihil operantur.



Rationibus, quibus Veteres Icti movebantur, exasse satisfacit Daniel. Moller. *semest. lib. 4. c. 2. n. 4. § 99.* An autem cursor publicus hoc delicto commissio pœna suspendii pro-
tinus plectendus olim non omni exemptum erat dubio. Pro
negativa, quam etiam Scabini Lipsienses teste Berlich. *d. l.*
n. 2. olim amplexi, adstruenda facere omnino videtur, quod
cursor non tam invito Domino rem contrectet & propria
autoritate occupet, quam quod pro fide & contra legem
contractus agat, resq; suæ fidei concreditas subvertat:
Proinde extra ordinariam saltem pœnam sustigationem sc.
vel relegationem perpetuam aut temporalem Scabinos
dictasse testatur citatus Berlichius.

XXV. In Electoratu autem Saxonico nuncium, &
ex rationis identitate etiam cursorem publicum pœna la-
quei, dummodo fraudulenter & pecuniam summam 20. flo-
renorum transcendentem animo furandi non autem inten-
tione ac proposito restituendi in proprios usus converte-
rit, puniri satis patet ex constit. Electoral. *part. 4. constit.*
41. §. ult. in verb. wen auch ein Bote / deme Geld über Land
zu tragen vorsiegelt oder unvorsiegelt / vertrauet / dasselbige stehlen
damit entlauffen / oder es in andere wege betrieglich entfrembden
würde / so sol der selbige / wan sich die Summa auff 20. fl. Mün-
ze erstreckere / mit dem Strange vom Leben zum Tode gerichtet /
und da es unter 20. fl. sein würde / mit Staupenschlägen des
Landes ewig verwiesē / oder aber da es gar wenig mit Gefängniß
oder zeitlichen verweisung gestraffet werden. Multis præju-
diciis hanc sententiam confirmatam videre licet apud
Carpz. *pract. Crim. p. 2. q. 85. n. 83.* Decetero cursoribus
prædicto furti delicto se contaminantibus proxime acce-
dunt illi, qui literas vocula *Francò.* notatas non prius tra-
dere volunt, quam si pretium, quod ante jam accepere de-
nuo ipsis fuerit solutum. Descendit hæc vox Franco ab
italico idiomate liber vel libera, sub intellectu scilicet li-
tera. Unde in jure Feudali feuda, in quibus vasallus nulla
servitia tenetur præstare, franca dicta perhibentur Hen-
ric. à Rosenthal. *tract. feud. cap. 2. conclus. 59.*

XXVI.

XXVI. Quod si igitur cursor vel pecuniam ante exactam iterum exigat, vel vocem *Francò* in literarum superscriptione positam, oblitteraverit vel adulteraverit, is omnino contrabonam fidem & dolose agit, dum idem bis exigere non veretur, l. 57. de R. l. & aliquem eum alterius jactura & detrimento locupletiolem fieri naturali repugnet aequitati l. 8. §. 77. ff. de transact. l. 28. ff. de dol. mal. Merito igitur protervia istiusmodi Cursoris profrequentia & gravitate commissi extraordinaria poena coercetur. Secus autem res comparata si cursor probare possit, se pecuniam vel plane nullam vel non sufficientem accepisse, cum tamen vox *Francò* simpliciter & sine determinatione loci, quousq; literæ, ut ita dicam francatæ sunt apposita sit, cursor in loco redditionis solutionem vel totalem vel alteram ac residuam solutionis partem juste exigit. Etsi autem juxta superius dicta cursus publici multa promittant producantq; commoda, vicissim tamen suis non sunt destituti incommodis, præcipue si cursores publici per loca infesta aut contagiosa transire debeant nec ea præterire possint. Hinc præcæteris prospiciendum cursoribus, ut literas & fasciculos ejusmodi materiis compliceant, quibus contagium vel venenum pestilentiale non adeò faciliè adhærere solet.

XXVII. Ut taceam incommoda, quæ ex novellis relationibus aliquando oboriuntur: sive enim falsa sive vera quandoq; referantur, facile tamen vel consilia cæpta interrumpere, vel odia insidiasq; excitare, & tantum non tumultibus ac rumoribus aniam præbere potest rumor & fama ex novellis istiusmodi proveniens. Cautus itaq; debet esse præfectus postarum, ne quicquid relatu perniciosum ipse existimaverit, novellis inseri patiatur subiceri potius atq; omitti ea jubeat. Non dicam de aliis fraudibus, quæ in postis vel postarum occasione atq; prætextu in publici boni detrimentum committi possunt; mihi ex dictis satis patere sufficiat ob commoda & incommoda postarum

rum

rum non conducere, ut princeps earum præfecturam, quæ
in Gallia præcipue venalis est, sicut officia pleraq;, ulli
vendat, nisi superioritate & inspectione sibi reserrata,
quod ille privatam magis quam publicam utilitatem quæ-
siturus præsumatur. Ego hic filam abrumperè co-
gor, agens DEO IMMORTALI IMMOR-
TALES GRATIAS!

*L*ibellâ trutinas animi, verbiq;, venustis
Fare, ortum cursus publicus unde trahat.
Ingenui Civis patras opus. Opto, veredis
Alatis currat nomen in orbe tuum.

Gratulabundus scribebat

PRÆSES.

*D*E Postis loqueris docte, doctissime, Strophii,
Ingeniiq; tui dona perempta doces.
Hoc Jus mittendi quævis Respublica summa
Obtinet, atque suis utitur arbitriis.
Talia cottidiè summo conamine discis,
Ut patriæ prosis Principibusq; Viris.
Perge viam cœptam; Musarum perge labores;
Non erit ingenii fama sepulta tui.

D. Michael Wendelerus,

*Collegii Theologici Assessor, Theologiae P. P. Extra-
ordinarius & Moralis Philosophiae P. P. Or-
dinarius.*

*F*ritia Te genuit, STROPHII, clarissima tellus,
Auxit Te florens artibus Hala bonis.
Te Sophies vidit cultorem Jena celebris,
Hinc vocat & Civem Te Witteberga suum.
Lipsia Te novit; sed juvit Leucoris alma,
Juris ubi specimen, non sine laude, dares.
Sit felix Patriæ studium, gratumq;, Parenti,
Cedat & in proprium, Fautor Amice, decus!
Per-Eximio Politissimoq; Dn. Relp. Favitori suo
& Conviatori honorando hæc L.M.Q.F.
M. Johann. Peißker / P. L. C. & Schola Witteb. Rect.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]

